



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

2. Purificatio B. V. Mariæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Reginam, in qua octo magis heroici actus in humilitate, temperantia, & taciturnitate Ei offeramus pro perpetua nos inter amicitia. Schedam deponamus aut in manus Beatissimæ V. Mariæ, aut abscondamus sub pia Icone cum Antiph. *Salve Regina*, Mater Misericordiæ!

Festum Purificationis B. Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! venit ad templum sanctum suum Dominator Dominus, ut se pro nobis offerat, ac præsentet hostiam vivam. Surgat ergo filius spiritualis! & occurrat Deo suo! occurrat in omni puritate animi, lætitiâ cordis, & gaudio Benedictini spiritûs.

Instructio meritoria.

Hæc Præsentatio ut nostra sit in cœlis glorificatio, recitemus *primas quatuor Decades* ex S. Rosario Gaudioso. In fine prostratò coram Sanctissimo Altaris Sacramento corpore nos totos præsentemus SSS. Trinitati in Hostiam Divini Bene-

Bene-

beneplaciti, & voluntatis Sacratissima.
Non surgemus sine grandi merito. Re-
noventur dein solemnia Vota cum Psal-
mo: *Benedic anima mea Domino, &
omnia &c.*

II.

O Prodigium humilitatis! Maria se
subjicit legi peccatorum, ut vide-
retur esse, quæ tamen non erat! quia
Mater Dei. Fili mi! simus, quos pro-
bant opera, videlicet: in oculis Dei ju-
sti, humiles, & omnis sanctitatis ama-
tores. Judicent nos humani oculi! quid
eum? modò propria nos non incuset
conscientia. Si nos hominum moveat
opinio, citò abstineamus ab opere bo-
no? Quidquid egerimus, vel omi-
serimus, perinde est, criticos experie-
mur.

Instructio meritoria.

Pro acquirenda humilitate cordis so-
lidâ post preces ad salutationem Angeli-
cam persolvendas exosculemur in hono-
rem ætatis Christi trigiesies quater ter-
ram subjungentes Psalmum: *Domine!
non est exaltatum cor meum &c.* Humi-
liate

liate capita vestra Deo! clamat ad filios
Ecclesia.

III.

Quod Mariæ erat charissimum, ob-
tulit hodie Deo, nimirum Chri-
stum, & honorem suum. O di-
gnum Patre Cœlesti sacrificium! Fili! si
honorem, si cor, si voluntatem, &
affectus nostros pro Deo impenderimus,
obtulimus omnia. Et ô quàm suave est,
tam pio, & liberali Patri servire, qui
terrena offerenti rependit cœlestia.
Ideò S. Chrysolog. cur non cœlo mu-
tuamus terram? quare non caducis
emimus æterna? quare non perituris
manentia comparamus?

Instructio meritoria.

Ut purificemur, & mundemur spiri-
tualiter, omnibusque delictorum elua-
mur contagiis, per octo dies in nostro
cubiculo candelam accendamus, quâ ar-
dente antè cubitum semper renovabi-
mus formulam votivam cum *Lyt. Laur.*
Hæc candela loquetur, quanti sit in cor-
de nostro, ac pietatis affectu dulcis Vir-
go, Clemens Mater, Potens Maria.

Dies